DE EMPHYSEMATE DISSERTATIO INAUGURALIS AD MEDICAM...

Antonio medico Beschi
(medico)

DE

EMPHYSEMATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD

MEDICAM LAUREAM

CONSEQUENDAM

HABITA

IN CELEBERRIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AB

ANTONIO BESCHI

EX CASTIGLIONE STIVERIORUM

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVIII.

ALOYSIO

PATRI . DULCISSIMO

AMANTISSIMUS . FILIUS

D. D. D.

910

Est *emphysema* morbus sui generis, qui constituitur ab aeris vel gas alicujus coacervatione inter spatiola textus cellulosi cutanei, membranacei, muscularis, vel in aliqua corporis cavitate, unde oritur intumescentia tensa, elastica, diffusa, sub manu crepitans, et cuti concolor. Inepte quidam Medici morbum hunc cum leuco-phlegmatia confundunt, sub qua licet corpus vel aliqua corporis pars intumescat, utriusque tamen morbi natura toto caelo differt; est enim leuco-phlegmatia tumor a seri vel aquei humoris collectione productus.

Antiquissimis ipsis Medicinae proceribus emphysematis cognitio ignota non erat: de emphysemate enim loquuntur Galenus, Coelius, Aurelianus, Avicenna aliique; sed qui optime de hac re meruerunt sunt clariss. Schulz et Zimmerman. Quum plures sane atque plures hujusce morbi causas agnoscant, proindeque variam expostulent curae methodum, ad Medicinae Lauream accedenti de hac affectione disceptare propositum mihi est, ut academico officio satisfacerem, et eodem tempore gratiam beneficii vestri, P. S., ostenderem.

Emphysema vox est e graeco fonte cadens, quae inflationem significat: graece enim dicitur Εμφύσημα,

ab ἐμφυσάω inflo. Schenkius *tympanitidis* cognomento designavit; Sauvagesius vero et Cullenius *pneumatosim* vocarunt.

Frequentius corripitur tubus alimentorum; sed nulla est corporis pars, in qua sub certis quibusdam circumstantiis gasosae substantiae collectio reperta non fuerit. Et revera uterus, abdominis cavum, thorax, cor, pericardium, cerebrum, jecur, vasa ipsa, aliaeque partes aereis collectionibus infarctae observatae sunt.

Patet itaque primariam hujus morbi divisionem esse in *universalem*, et *particularem*, sive *localem*. Morbus universalis dicitur, quoties universam corporis superficiem infestat; particularis autem quum aliquam tantummodo partem organismi occupat.

Tum partialis, tum universalis morbus quasdam habet varietates, quarum potiores sunt sequentes:

I. *Emphysema spontaneum*, *Pneumatosis spontanea*, quae sine causa manifesta oritur;

II. *Emphysema venenatum*, *Pneumatosis venenata* a veneno injecto, vel applicato producta;

III. *Emphysema traumaticum*, *Pneumatosis traumatica* a vulnere producta, quae frequens prae ceteris est;

IV. *Emphysema febrile*, *Pneumatosis febrilis*, quae pueros aestivo tempore aggreditur, universum inflat corpus, febrim et mortem interdum adducens:

V. *Emphysema hystericum*, *Pneumatosis hysterica*, quae crus vel unum, vel utrumque infestare

consuescit hydropis speciem referens. Cum diabete et ptialismo in hystericis alternatur.

VI. *Emphysema a contusione* oritur, quin ulla facta fuerit continuitatis solutio:

VII. *Emphysema artificiale*, quo quidem utuntur Medici quarundam regionum adversus morbos chronicos, uti sunt dolores rheumatici, passio hypochondriaca, tabes: inflant siquidem aegros, et potus medicamentaque ad diaphoresim ciendam apta exhibent, et currere atque saltare jubent: tali pacto et chronicus morbus et artefactus disparent.

Emphysematis phaenomena sunt: tumor, vel universam organismi superficiem, vel partem tantum occupans; tumoris hujus elasticitas et crepitatio sub digitorum pressione, quorum idcirco vestigia non servat, et color cutis immutatus. Nullus sub primordiis vexat dolor; sed sub morbi progressu, et tumoris augmento cutis, nervi, et proximae partes distrabuntur, comprimuntur, dolores insurgunt vehementes cum spasmis, inflammatur cutis interdum et textus cellularis, ac proinde ex hac etiam causa novus exurgit dolor. Saepe etiam aeger ad ignem accedens doloribus excruciatur vehementioribus; quod ex eo fit quia vis calorici expansiva aerem collectum dilatat: mitescunt vero dolores sub frigoris actione.

A varia, quam occupat, sede, diversa habet nomina; sic tympanitim intestinalem, abdominalem, uterinam appellamus, prout aer evolutus, aut morbose secretus in intestinorum, abdominis, vel uteri cavo contingat. Porro haec morbosa aeris collectio, uti diximus, in omnibus corporis partibus,

in cavo cranii, mediastini, in oculo, in pericardio, in vasis tam sanguineis quam lymphaticis, in pulmone, in pericardio et ipso corde, inter tendines ac sub periostio effici potest. Habemus itaque juxta Swediaur emphysema *scroti, colis, labiorum vulvae, palpebrarum, oculi, ovariorum, uteri, vesicae,* etc. Ideo symptomata, quae emphysemata comitantur, diversissima sunt secundum morbi sedis naturam: generatim vero effectus sive symptomata independentia cum illis maxime conveniunt, quae in aquosis collectionibus observantur.

Rarius emphysema inferiores corporis partes occupat; frequentius superiores. Emphysema hystericum derepente oritur, atque ad proximas partes citius quam serosi tumores, protenditur. Emphysema cutaneum ab erysipelate et leuco-phlegmatia discriminant elasticitas, ruboris et sub initio doloris absentia; ab anasarca praecipue crepitatio.

Causa emphysematis proxima, sive conditio pathologica, sita est in morbosa aeris collectione inter cellulas textuum diversorum vel in cavitatibus corporis. Praedisponantes causas ad hujus morbi evolutionem necessario non requiri emphysema traumaticum testatur, quod sanissimos etiam homines extemplo aggredi potest. Frequentiores vero, quae ad hunc morbum disponunt causae sunt potissimum sequentes: Atonia primum totius corporis adnumeratur: hac enim conditione imperanta, partes organismi tum solidae tum fluidae facilius in sua intua resolruntur. Vascularis praeterea systematis et praeprimis lymphatici debilitas

ad emphysemata viam parat, siquidem fluida jam secreta non resorbentur. Accedunt etiam abnormes systematis nervosi mutationes, quibus fit, ut ex levissima causa in hystericis mulieribus celeriter et sponte emphysema nascatur, atque eadem celeritate sponte dispareat. Haec de causis praedisponentibus; quae vero ad emphysemata ansam praebent id omne est, quod praeternaturalem aperit viam, qua aer a pulmonibus et bronchiis in cellularem textum expanditur: hinc recensentur vulnera, contusiones, costarum fracturae, laryngis vel tracheae interna laesio, tussis nimis violenta, etc.; silentio ne praetermittamus aurae frigidae et humidae expositionem, graviditatem, partum difficilem, hysteriam, et hypochondriasim, exanthemata, ut sunt variolae, miliaria, phlyctenae, scarlatina, febresque ipsae intermittentes epidemicae. Sunt qui improba simulatione perducti ad movendam hominum misericordiam, puerorum cutem retro aures incidunt, aereque immisso inflant, unde tumor hydrocephalum mentiens, efformetur; sed hoc simulatum emphysema, facillime cognosci potest, resorpto enim aere cutis post paucos dies subsidit.

Singulae emphysematis species vel ex aucta corporis actione, vel ex depressa virium energia, vel ex perturbata systematis praesertim nervosi actione pendent: ideo in hypersthenicos, hyposthenicos, atque irritativos dividi possunt.

Emphysema a causis externis, et in locis cum aere atmospherico communicantibus oriri posse, omnes libenti animo concedunt: non ita porro ubi

agatur de emphysemate cor, arterias, cerebrum, aliaque recondita viscera obsidente. Hujus rei tamen ratio suppeditatur a physiologicis et chemicis disciplinis. Iam scimus ad solidas et liquidas humani corporis partes componendas suam symbolam conferre bases quorumdam gas, puta azotum, oxygenium, hydrogenium, carbonium, quae omnia et inter se et cum aliis principiis moleculas partium organicarum componentibus intimo colligantur nexu atque societate. Experimenta praeterea ad hoc instituta, et observationes demonstrant gasosas quasdam substantias in humoribus nostris dissolvi atque illuc perduci vel per alimenta, vel per absorptionem pulmonarem et cutaneam, vel ob decompositionem sive naturalem sive morbosam partium liquidarum et solidarum. Quae quidem omnes gasosae substantiae tum evolvuntur et coacervantur, si earum vis expansiva aut copia adaugeatur, vel si imminuetur externa pressio, vel si liquidorum, quibus continentur, moleculae a se invicem disjungantur, vel demum si harum molecularum mutua affinitas atque attractio succrescat.

Quapropter emphysematum natura varia existit prout una vel altera harum substantiarum ad earum compositionem concurrit. Gas acidum carbonicum frequentius colligitur iis in cavitatibus, quae aeri atmosphaerico patent, et praesertim in stomacho atque in intestinis, rarius vero in aliis partibus tum quia in humoribus animalibus facillime solvitur, tum quia cum soda, quae in illis inest, promptissimam init societatem.

Interdum gasosa haec initia in cellulari textu, vel in aliqua cavitate collecta cum liquidis iterum miscentur atque conjunguntur. Quare intellectu pronum est cur emphysemata aliquoties eadem celeritate, qua apparuerunt, dispareant. Gasosa vero haec collectio pressione sua functiones proximarum partium turbat, humorum motum cohibet, nervorum surculos distensione nimia irritat, unde dolores aliaque mala plus minusve gravia pro varia partium dignitate, et emphysematis duratione.

Emphysematis prognostica auguria a causis omnino pendent. Si causa removeri potest, antequam suffocatio vel alia mala immineant, bona erit prognosis. Bonum pariter omen portendit emphysema a vulnere, modo tamen vulnus respirationis organa non penetraverit, neque adeo amplum sit, ut labiorum coalitus difficilis fiat. Hystericum emphysema non infaustam admittit prognosim; cito enim evanescit, quemadmodum omnes hystericae affectiones. In febribus irritativae indolis nec adeo gravibus, atque in intermittentibus non absolute hyposthenicis ex consueto emphysemate periculum non includit.

Mali e contra ominis est emphysema a vulnere pulmonum vel asperae arteriae, praesertim si cito occludi non possit vulnus; etenim aer, qui inspiratur in pulmonibus, ut par est, retineri nequit, et illico rejicitur. Emphysema, quod circa organa vitae necessaria oritur, periculi est plenum, aliaque mala et suffocationem ipsam inducere potest. Quare periculum minitatur, si aer cavitates prae-

sertim nobiliores ingrediatur, si ad nervos et vasa majora pertingat, harum enim partium functiones turbat, et lethale evadit. Infausto plerumque exitu terminatur emphysema a febri nervosa, a gangraena interna, ab ulcere maligno, a variolis suppurantibus. Aer diu in vulneribus ulceribusque latens, horum morborum indolem in pejus mutat, et periculum augescit.

Quoad curae rationem, indicatio, quae existit trifaria est. Causa primum si fieri potest removenda est; ne novi aeris accessus tumorem augeat; secundo loco collecto aeri via est reserandа; tertio demum pristina contractilitas primumque robur telae cellulosae et cutaneo textui restituatur, ne morbus recidivus fiat.

Prima indicatio sic absolvitur. Si ab inflicto in pectus vulnere emphysema provocabatur, vulnus illico est dilatandum, ut aer libere exeat, vel si clausum, reserandum, omnique studio aer excludendus est. Quod si emphysema a frigore vel ab aere humido et frigido ortum duxerit, unicum quod prostat remedium, est regionis mutatio: plures enim morbi endemici non nisi per aeris et loci mutationem debellantur.

Juvant praeterea frictiones, sacculorum herbis aromaticis repletorum calida applicatio; potiones calidae puta ex infuso florum sambuci, liquor anodynus anisatus, spiritus minderen, antimonii praeparata, sulphur, et similia. Curandum praeterea ut cubile sit modice calidum. Si spasmodica partium atonia, quemadmodum in hysterismo usuvenit, emphysematis culpam gerat, maximo

cum fructu usurpantur corroborantia volatilia, et praesertim infusiones ex radicibus valerianae silvaatris, aut floribus arnicae montanae, praeparationes camphoratae, acida mineralia dulcificata, substantiae aethereae et hoc genus alia. Si febris adsit, et pulmones, ulcere suppurante, obsidentur, emphysema, quod inde evolvitur, juxta indolem suam peculiarem curatur.

Altera indicatio a prima indicatione omnino fluit: ablata enim causa, quae morbum produxit et alit, morbosa aeris collectio necessario evanescit. In emphysemate externo tela cellulosa est scarificanda, et aer digitis est expellendus.

Si dyspnoea urgeat, et aeger plethoricus sit, venae sectio et laxantia sunt usurpanda. Si vulneris dilatatio, levis compressio, et interna remedia nullam afferant utilitatem, administranda sunt remedia, quae lymphaticorum actionem incitant et alacriorem reddunt. Huc spectant antimonialia praesertim cum sulphure consociata, hinc sulphur auratum antimonii, tartarus stibiatus refracta dosi porrectus, vinum antimoniatum Huxhamii, et infusa florum arnicae.

Emphysema, quod a causa interna oritur, et febribus hyposthenicis conjungitur, aceto vini, alchoole cum camphora, fomentis aromaticis, decocto corticis peruviani externe est tractandum, additis remediis internis morbo principali aptatis. Inter exterora remedia, quae majori cum utilitate usurpantur, sunt frictiones, inunctiones cum linimento tartari stibiati, vel linimento volatili simplici aut camphorato, vel cum substantiis sapo-

naceis, balnea tepida, fomentationes spirituosae aromaticae, cucurbitulae siccae vel cruentae.

Tertiae demum indicationi satisfaciendum erit usu diu continuato medicamentorum amarorum adstringentium et martialium. Juvant potissimum aquae minerales martiales, balnea tepida et successive calida, frictiones siccae, et inunctiones paulo supra indicatae; quae omnia ad roborandam vim cutis et textus cellulosi contractilem valent.

Generalia haec therapiae praecepta singulis etiam emphysematis varietatibus aptari debent: medicamenta autem localia vel parti affectae applicantur, vel parti ab affecta longe dissitae, ut per antagonismi leges agant. Quoad haec remedia localia quae jam exposuimus, ea ab observatione et experientia magis comprobantur: sed notandum est quod inter tot linimenta, quae ad localem emphysematum curationem proposita et commendata fuerunt, principem profecto locum sibi vindicat linimentum ex hydrojodatae potassae joduràto, de cujus administratione, usu et utilitate optima tradidit praecepta illustris praeceptor et consiliarius V. A. Brera tum in suo Opusculo, quod inscripsit: *Saggio sull'iodio*, tum etiam passim in pretiosissimis suis *Prospetti Clinici*.

Relate vero ad *tympanitidem*, quae frequentior est emphysematis species, haec plerumque a gas acido carbonico constituitur, ideoque perbene debellatur usu generoso et repetito magnesiae causticae, siquidem magnesia ad flatus absorbendos optime confert: hoc etiam auxilii genus praestant

aqua calcis, alcali volatile causticum, et pulvis ex ligni carbone. Disputarunt medici et chirurgi utrum in tympanitide abdominis paracentesis conveniat nec ne. Alii necessariam habent, alii eam omnino proscribunt. Rectius quidem postremi faciunt, etenim saepe tympanites subsidiis omnibus rebellis, mortemque minitans, paracentesim promptissime expostulabat, nec tamen magnesia caustica in usum deducta erat. Administratis vero generosis hujus remedii dosibus flatus et sursum et deorsum magno cum strepitu, et maximo cum aegrotantis levamine detrudi coeperunt, atque salus restituta fuit. Quare paracentesis uti extremum remedium in extremo morbo tantummodo celebranda erit.

THESES

I.

In morborum curatione vis naturae medicatrix maxime attendenda est.

II.

Melius est anceps experiri remedium, quam nullum.

III.

Elminthiasis omnes fere morbi formas mentitur.

IV.

Febres perniciosae non omnes cortice solo profligantur.

24